



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Imperatores Romani Ab Henrico IV. vsque ad Carolum V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Anno 1050. Synodus Moguntina, præfente Imperatore Henrico III. prohibuit Simoniam, & coniugia sacerdotum; & statuit, ne clerici alant canes aut aues ad venationem, neue secularia negotia, & turpia luera exerceant.

Anno 1050. Synodus Vercellensis damnauit sententiam Berengarii, qui transubstantiationem in Missa negabat. Variæ Synodi hinc inde de hac controuersia institutæ sunt à Leone IX. & aliis Pontificibus Romanis.

IMPERATORES ROMANI AB
Henrico IV. vsque ad Carolum V.

Henricus IV. Imp. cum Pontificibus Romanis, Gregorio VII. & aliis, varia certamina subiit: cum Saxonibus bellum gessit, ab iisdem accusatus apud Pontificem, excommunicatus, & in locum eius susceptus fuit Rudolphus Sueuus, cui Papa Gregorius VII. coronam misit, cum hac inscriptione: *Petra dedis Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Vnde ingentia certamina sunt orta: donec Rudolphus aliquot præliis fractus, dexteram manum à Godofrido Bullionæo sibi præcisam, tandemque vitam cum magna pœnitudine amisit. His malis accesserunt & alia: cum maxime filii Henrici V. aduersus Patrem nefaria conspiratio, à Pontifice & eius affeclis constructa: quas omnes calamitates innumeras prope, annis 50. exantlatas, excepit Imperatoris Henrici IV. extrema

paupertas, custodia, mors, & sepultura denegatio, per totum quinquennium, quod cadaver eius Spiræ stetit in Sarcophago lapideo extra templum: cum princeps fuerit vere magnanimus, pius, & in bellis felix: domi vero inter suos, ob fraudes Pontificum & clericorum, infelicissimus.

Sub Henrici IV. Imperio Gothofredus Bulionæus, maximas copias aduersus Saracenos & Turcas, in Palæstinam deduxit, & recepta Hierosolyma hostes illos late proffigauit; regnumque ibidem constituit; memorabili ad omnem posteritatem exemplo.

Post Henricum IV. successit filius eius Henricus V. Anno Domini 1106. qui impietatis aduersus Patrem pœnas dedit Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus, quibus adhæserat. Nam ab his excommunicatus, & ab omni iure electionis, ac confirmationis Pontificis Rom. Clerique deiectus, variis bellis implicatus fuit: tandem mortuus Traiecti sine liberis, & sepultus Spiræ, Anno Domini 1125. 12. Calen. Junii, relicto Imperio Romano in magna perturbatione à Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus conflata.

Lotharius II. Saxo Imperator Innocentium II. Pontificem Rom. contra Pseudopapam defendit: Romanæ Ecclesiæ authoritatem defendit & auxit: Mortuus tandem prope Tridentum, Anno Domini 1138. & sepultus inter Helmstadium & Brunswigam Cæsareæ Lothariæ.

Con-

Conradus III. Sueuus, Lothario successit, Anno Domini 1139. Nutare iam & labi cœperant res Christianæ in Asia, præfidiario milite destitutæ, quas reliquiæ adhuc utcunque sustentabant Armeniorum auxiliis, qui religionis societate nostris coniuncti, Turcis agros Christianorum infestantibus à tergo assiduè inhærebant. Nec solos Turcos iam, sed & Saracenos Ægyptios nostri habebant hostes. His ut subveniretur mature, priusquam penitus conciderent, Conradus Imperator, & Ludovicus Franciæ Rex, impulsu Diui Bernhardi, maximos traiecerunt in Asiam exercitus, rebus omnibus instructos, anno Christi 1146. Hi ad Byzantium cum conuenissent, atque explorata prius Manuelis Comneni, qui Orienti præerat, voluntate, de tota inter se belliratione consultassent, partitis agminibus hostes in diuersis sunt locis aggressi. Sed expeditionis sapienter deliberatæ, & optima ratione institutæ, exitus fuit infelix, Manuelis Byzantini scelerata perfidia, exercitu in Asia acciso, attenuatoque ferro, fame, veneno, & fraude. Imperator igitur Conradus III. nulla re memorabili effecta, post exactum annum quartum, in Germaniam redire coactus est. Obiit Bambergæ, Anno Christi 1152. Imperii 15.

Eo sublato, Conradi ex fratre Nepos, Fridericus I. Sueuiæ Dux, cognomento Barbarossa, electus, & Aquisgrani coronatus est Imperator. Hic Pontificum Hadriani IV. & Alexandri III. ambitionem per Germaniam fregit: ab
iisdem

iisdem vicissim affligitur, & Venetiis captum filium Othonem liberare volens, duras ab Alexandro III. condiciones suscepit: pedibus ab eo conculcatus in vestibulo S. Marci, adiectis verbis Psalmi: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, accepta venia pacavit Italiam, iura feudalia per Germaniam instauravit: Studiosis scholarum priuilegia & immunitates perpetuas concessit. Bellum sacrum contra Saracenos suscepit, socio Gallorum Rege Philippo, & Richardo Anglo. Sed dum forte in Serra fluuio Armeniae lauat, abreptus undis suffocatus dicitur, anno Christi 1190. sepultus Tyri.

Successorem reliquit Henricum VI. qui Italiam ingressus, coronatusque à Cœlestino Pontifice, Apulos Siculosque, defectionem molientes, multis præliis compescuit. Mortuus Messanae, anno Christi 1198.

Huius frater Philippus, placato Pontifice Romano, Imperator renunciatus est. Sed mox iterum per insidias ab Othone Wittelsbachio sublati. De Philippo Imp. per Innocentium III. Papam excommunicato; & de bellis inter Othonem & Philippum; lege apud Vispergensis, & alios.

Post eadem Philippi rediit Imperium ad Othonem IV. Brunsvicensis Ducem, Henrici Leonis fratrem: qui tamen non diu id possedit, deiectus & excommunicatus Pontificis Innoc. III. sententia, per quem fuerat euectus. Etsi vero Otho conuentu Norimbergæ indicto, querelam grauem habuit apud Imperii ordines.

ines de Papæ iniuriis, nihil tamen obtinuit. Nam Papa nihilominus Fridericum II. contra illum confirmavit, & vt Aquisgrani inauguraretur, effecit. Obiit Otho Inglorius, & ab omnibus desertus, Brunsvigæ, Anno Domini 1218.

Fridericus II. Henrici VI. filius, cum Pontificibus Romanis Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IX. dura admodum fortuna, & molestiis maximis confictatus est: Longæ sunt ambages, iniuriæ vero acerbissimæ. Anno 1228. à Papa Gregorio IX. excommunicatus, Reges & Principes mundi hortatus est, ne Papæ & Cardinalibus obedirent. Eidem tribuitur hoc distichon:

*Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.*

Extinctus est veneno, sepultus Panormi, anno Domini 1250. A Friderici II. morte, ad Rudolphum Habsburgensem, interregnum fuit per annos 22.

Durante adhuc interregno Germaniæ, tandem hortatu Pontificis Gregorii X. facto conuentu Lausannæ, Rudolphus I. Habsburgensis, Landgravius Alsatiæ, Imperator communibus suffragiis salutatur, & à Pontifice confirmatus, Aquisgrani coronatur. Anno Domini 1273. Rebus humanis exemptus est, anno Domini 1291.

Post Adolphum Nassouium, in prælio occisum, Anno 1298. Albertus Austriacus, Rudolphi

phi.

phi filius, à Cunctis Electoribus Francofurti designatus est Romanorum Rex, tanto concursu, vt in eo Dux Saxoniae fuerit oppressus atque suffocatus: consecratus Aquisgrani. Sed cum à Pontifice Bonifacio VIII. coronam peteret, ostentans ille sese insolenter, gladio & corona, primo confirmare eum noluit, propterea quod Adolphum Nassouium occidisset, & potestatem sibi in Politicis atque Ecclesiasticis rebus vsurparet: sed postea persuasus ab Alberti Cancellario, consensit.

Alberto successit Henricus VII. Lucelburgensis, Anno Domini 1308. qui in Italiam profectus, Mediolani coronam ferream accepit. Romam veniens in Laterano coronatus, & Augustus appellatus est: tandem fraude Senensium à quodam Monacho, Ordinis Prædicatorum, hostia venenata, quam in Eucharistia ei porrexit, interfectus, & sepultus Pisis, Anno Christi 1313.

Sublato æmulo, Friderico Pulchro, Austriae Duce, Alberti Cæsaris filio, Ludouicus V. Bauiarus, solus Imperium obtinuit. Hic Italiam petiit ad sopiendas reliquias factionum Gibelinorum & Guelphorum: id quod offendit Iohannem XXII. qui ob id Ludouicum Cæsarem excommunicauit, & Auinionem (quorum ex Italia sedem Romanam transtulerat) ad dicendam causam citauit. Ludouicus Imperat. à Pontifice prouocauit ad Concilium generale: Vnde ingens orta disputatio; quibusdã Theologis & JCrus Papam, quibusdam Cæsarem publi-

blicis scriptis defendentibus. Profectus tamen in Italiam Cæsar, Vrbes quasdam reformauit, præfectis suis ibi collocatis: Romam contendens, cum coronationem à Pontifice obtinere non posset, à Stephano Columna Cardinali, consentiente Senatu, & Plebe, Cleroque, diademate vna cum vxore insignitus est. Post habita Synodo, Papam Iohannem XXII. illius authoritate, vicissim abdicauit; surrogato Nicolao V. & publico scripto factum suum defendit. Sed reuerso Ludouico in Germaniam, Italiæ Vrbes, & in his Pisæ deficientes Nicolaum V. captum ad Iohannem Pontificem in Galliam miserunt. Quare permotus Cæsar, Iohannem Bohemiæ Regem in Italiam misit cum exercitu, qui multas ciuitates in potestatem suam redegit. Sublato è viuis Iohanne XXII. Ludouicus Cæsar à successore eius Benedicto XII. absolutionem ab excommunicatione petiuit; quam impediuerunt Philippus Galliarum, & Robertus, Siciliae Reges: ex quibus tamen Philippus Cæsari reconciliatus, legationem vna misit cum Imperatore ad Papam pro absolutione. Sed cum & hic recusaret eam, Cæsar habito conuentu Francofurti, acta Pontificum rescidit, facto decreto, quod Pontifici nihil iuris competat in Romanum Imperatorem; sed maiorem esse Concilii authoritatem, quam Pontificis. Inde cum facto nouo Pontifice Clemente VI. iterum ab hoc absolutionem petiuisset; ille autem iniquissima & indignissima quæque offerret Cæsari; ac inter alia, vt
se, suos

se, suos liberos, ac bona, potestati Papæ subiceret, fasces Imperii deponeret, confiteretur errores & hæreses sibi obiectas: iterum egio conuentum Imperator Francofurti, & Ordinum Imperii beneficio tutum se fore sperauit. Sed Pontifex de nouo excommunicatione Cæsaris promulgata, cohortationem ad Electores fecit, vt sub eadem pœna, & grauissimis aliis periculis, intra tempus præfinitum, deposito Ludouico Bauaro, alium Imperatorem crearent. Iccirco Proceres euocati à Moguntino, abdicato Ludouico, elegerunt Carolum IV. Iohannis Bohemiæ Regis filium, probante Pontifice: à qua electione non multo post Cæsar Ludouicus ex venatione rediens, lapsu equi concussus, diem extremum obiit Anno Christi 1347. Imperii 33. Magnitudo in Christiano orbe motus fuerunt propter tyrannidem Pontificum, & Gallorum atque Anglorum dissidia.

Carolus IV. amauit literas & literatos: Academiam Pragensem instituit; lectionibus & disputationibus interfuit. Floruerunt etiam Coloniensis, Erphordiensis, & Viennensis Academia sub ipso: Fastum Clericorum odio habuit, reprehendit, & reformauit, quoad potuit: tandem Pragæ obiit, Anno Domini 1378. cum imperasset annis prope 33.

Huic successit filius plane dissimilis, Wenceslaus, qui scribitur matrem in partu extinxisse; aquam in Baptismo, & aram in sua inauguratione cœno polluisse. Huic ob ignauiam Imperium abrogatum est, anno Christi 1400.
& ad

& ad Fridericum, Brunsvigæ & Lunæburgi Ducem delatum: qui statim insidiis & fraude Moguntini Archiepiscopi ad Frislarium extinctus est: vnde illud per vulgari coeptum, quod Moguntia in limine Basilicæ Cathedralis inventum est, lapidi cuidam incisum: Moguntia ab antiquo Nequam. *vide Brunnum. pag. 251. in Sal. Elector.*

Rupertus, Bavarix Dux, Comes Palatinus Rheni, occiso Friderico Brunsvicensi, Romanorum Rex electus est, Anno Christi 1400. In Italiam à Pontifice & Florentinis vocatus, comprimere quidem conat' nefarios Galeacii, Mediolani Ducis, ope summa nitebatur; sed obstabat ei præsul Moguntinus, vt nauare & efficere nihil posset. Ex Italia Heidelbergam reuersus, Francofurti Comitia celebrare instituit, ob Pontificum Romanorum schismata: & cum Imperii Principibus de futuro Concilio deliberavit, ne Christiana Ecclesia quorundam malitia tam fœde laceraretur. Erga Academiam Heidelbergensem singularem semper amorem, studiumque suum declaravit: priuilegia & iura Studiosorum confirmavit. Obiit Oppenheimii, Anno 1410. die 18. Maii. Sepultus Heidelbergæ in templo Sp.S.

Sigismundus, Caroli IV. filius, Romanorum Imperator, triennio peragrata Italia, Hispania, Anglia, Gallia, Regum consensu obtinuit Concilium Constantiense: tres Papas adulterinos sede mouit, & ordinarium constituit: Hussitarum causam cognouit, exusto Iohanne Hussæ, & Hieronymo Pragensi. Bellum ob
id per

id per Bohemiam sustinuit graue & diuturnum, quod Hussitæ, Duce Iohanne Zisca, viri strenuo, gesserunt contra Imperatorem, & ordines Imperii, eorumque socios Italos & Anglos; donec post Basiliense Concilium, inter se dissidentes ipsi, & viribus attriti, vna cum Bohemia, & Ducibus suis Procopiis, in fidem Imperatoris redierunt. Sub eo Zingari, siue Zeugini, populi vagabundi, primum in Germaniam venerunt. Obiit Anno Domini 1438.

Post fata Sigismundi Albertus II. Austriacus gener, cum Imperio Romano simul duo potentissima Regna, Hungaricum & Bohemicum obtinuit, Anno Christi 1438. sed altero mox anno dissenteria correptus, ex peponum esu nimis assiduo, interiit in Hungaria, non procul à Strigonio.

Securus deinde est Fridericus III. Archidux Austriae, à Nicolao Pontifice coronatus in Italia, Anno 1440. Eius temporibus graue & periculosum bellum exarsit ob Archiepiscopatum Moguntinum, quem remoto Diethero Hsenburgico, Pius II. Pontifex, Adolpho Nassouiensi, fauente Cæsare, concesserat. Dietherum defendit Fridericus I. Elector Palatinus, & prope Heidelbergam commisso prælio tres Principes cepit. Mahometus etiam Turcius Imperator Constantinopolin expugnauit, Constantinum, vltimum Orientis Imp. cum omni sobole regia sustulit, & Turcicæ tyrannidis domicilia ibi constituit, Anno Christi 1443.

Efflo.

Effloruit sub eodem Imperatore ars Typographica, primum Argentinx à Iohanne Gutenbergio excogitata; vbi etiam Iohannes Mentelius primos authores bonos impressit. Inde Moguntix exulta per eosdem: Porrò Romam translata per Iohannem Gallinaceum: mox Parisiis, Antuerpiæ, Veneriis, aliisque locis celeberrimis propagata & exornata, incredibilem vsu generi humano in omnes partes præbuit. Tandem optimus Imperator Fridericus III. obiit Lyncii, Anno Christi 1493. Imperii 53. quos post Augustum Cæsarem vix quisquam assecutus est.

Patri Friderico III. ceu fidus Achates adfuit filius Maximilianus I. qui Anno Christi 1486. in consortium Romani Imperii electus, & Aquisgrani corona Caroli Magni decoratus est, viuente, inspectante, & lachrymante Patre, qui mutum eum fore metuit, eo quod ad annum vsque ætatis nonum parum, aut nihil esset locutus; cum postea Latinè, Gallicè, Italicè, aliisque linguis, expedite & facunde cuncta proferret. Diadema de more maiorum non recepit, nec Pontificem salutauit. In pace coluit literarum & linguarum studia, inprimis Historiarum, quibus scribendis ipse per otium fuit deditus: excitatus haud dubie exemplo parentis & maiorum; sub quibus literæ, & artes reuixerunt, & multi clari viri in omni disciplinarum genere extiterunt. Academias instaurauit complures, & Principibus Germaniæ ad easdem fouendas author extitit: vt Ingolstadiensem,

Tu-

Tubingensem, Moguntinensem, Witteber-
gensensem, Francofurdiensem ad Oderam, &c. E
vita migravit, Anno Domini 1.519. Imperiū,
ætatis suæ 63.

PONTIFICES ROMANI A
Gregorio VII. vsque ad Leo-
nem X.

Gregorius VII. Hildebrandus dictus, na-
tione Tuscus, ex Archidiacono Cardina-
lium, Cleri, populique Romani consentienti-
bus suffragiis, nulla authoritate Imperatoris
Romani interposita, Pontifex est factus, Anno
Christi 1073. Quare offensus Imperator Hen-
ricus IV. Imperii ius tueri omni cura & con-
tentione conatus est. Iccirco Romam misit
Comitem Eberhardum, qui cum nauare & ob-
tinere, quod æquum & iustum esset, nihil pos-
set; coactus est ipsemet Imperator cum exer-
citu Romam accedere, vbi Gregorium VII. an-
no Pontificatus eius vndecimo, assentientibus
Romanis ciuibus, munere priuauit, Clemen-
temque III. in sede Pontificia collocauit, qui
annos XVII. in ea sedit. Inde Schisma horren-
dum exitit, quod Imperium grauitè conuul-
sit & labefactauit. Idem Gregorius primus
Imperatorem excommunicauit, & Imperii
Principibus author fuit, vt amoto Henrico IV.
alium Imperatorem eligerent; electoque Ru-
dolphi Sueuo coronam misit, addita hac in-
scriptione: Petra dedit Petro, Petrus Diade-
ma